ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissimo, doctissimoque Viro D.
Constantino Hugenio,
C. Barlaeus S. P. D.

Vix nautae tradideram literas meas, cum domum reverso tuae traderentur, Nobilissime Hugeni. Videmur simul in easdem cogitationes incidisse, ut & tu mihi, ego tibi scriberem. Quae de Vander-Burchij negligentia scribis aegre fero. promiserat enim mihi se accuratum curaturum chartas meas, cum recta ad castra cogitaret. Sed video Lentulum hunc et officij sui & rerum mearum immemorem alicubi in via à Leydensibus Sirenibus, Brosterhuysium aliosque innuo, detentum diutius. Cavebo, ne posthac per amicos istiusmodi curem. Quod in Tropaeo Arausionensi desideres demorsos ungues, non miror. cum ne biduum quidem impenderim. Nec tamen puto valde cariturum istum calculum. Adeo enim in isto carmine mihi sufficiens sum, ut arbitror me non scripsisse melius. Da veniam si à doctissimo Trobatio dissentiam. Tropaeum genium habet, nihilque affectatum, at Athenaeum, quia diu inter manus haesit & interruptis vicibus scriptum est, fucatae similius est, quam nativo formi. Vide, ut in hoc consarcinaverim sententias & acutius dicta, quam conglomeraverim totam fere Ethicam et Politicam, sine ullius poetae celebrioris exemplo. Claudianus in laudibus Honorij idem facit, sed toto libro argumentum istud exequitur, & late diffundit. Ego brevi poemate quasi Iliadem nuci inclusurus nimis multa complexus sum. Quare si me operis mei arbitrum esse patitis, viginti postremos Tropaei versus toti Athenaeo praefero. imo unicam illam & brevem nautarum nostratium descriptionem. Aut meos oculos φιλαυτία aliqua coepit, aut nos. Sed convivae sumus, Vir summe, poscentes vario multum diversa palato. Elaboratius est Athenaeum, sed nihil dulce habet, quia facilitatem carminis etiam desidero. Quae de D. Brosterhuysio scribis ad animum revocamus et ego et D. Vossius. Sed lenta hic admodum sunt Rectorum consilia. Si nostram sententiam audire volent, compos voti fiet Vir mihi amicissimus & meritissimus. Mitto, quod petis Epigramma ad Dominum Christophorum à Dhona. Jam enim non vacat plura scribere, cum adversus Stoicos non valde ineptos philosophos mihi disputandum sit. Posthac versuum eo parcius scriptor, cum me iam Dialectica & Physica ab amoenioribus studijs in spinas suas et dumeta revocent. Vale Vir nobiliss. & amplissime, cum uxore et liberis. Amstelod. XIX Jan. CIƆIƆCXXXII

Quo die primam habui lectionem, uxor mihi filium peperit, sobolis octavum.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 52
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/653

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 52
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/653

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 52
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/653

Aen mijn heer
mijn heer Constantinus
Huygens Ridder, heer van
Zuijlichem, Secretaris van
syn Hoocheit

Haghe

Dordrecht

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 52
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/653